

Saturnus. Huius enim ille paulò plus dimidium æquat. Similis apparet in cubi intimo & extimo orbe differentia. Cubum igitur Saturnus ambit, cubus Iouem.

Æqualis ferè proportio est inter Venerem & Mercurium, nec absimilis inter orbes Octaedri. Venus igitur hoc corpus ambit, Mercurius induit.

Reliquæ duæ proportionēs inter Venerem & Terram, inter hanc & Martem minimæ sunt, & ferè æquales, nempe interior exterioris dodrans aut bes. In Icosaedro & Dodecaedro sunt etiam æquales distantia binorum orbium: Et proportione vtuntur minima inter reliqua regularia corpora. Quare verisimile est, Martem ambire terram mediante alterutro horum corporum: Terram autem à Venere summotam, mediante reliquo. Quare si quis ex me quærat, cur sint tantum sex orbes mobiles, respondebo, quia non oporteat plures quinque proportionēs esse, totidem nempe, quot regularia sunt in mathesi corpora. Sex autem termini cōsummant hunc proportionum numerum.

Huc pertinet Tabula Tertia.

Annotatio in Caput secundum.

^B
fol. præced. Quodque his quinque) Corporum nobilitas est ex simplicitate, & ex æqualitate distantia planorum à centro figuræ. Sicut enim norma & regula creaturarum Deus est: sic Sphæra corporum. Atqui ea habet dictas proprietates. 1. Est simplicissima, quia vno clauditur termino, seipsa scil. 2. Omnia eius puncta æqualissimè à centro distant. Ex corporibus igitur proximè accedunt regularia ad Sphæræ perfectionem. Eorum definitio hæc est, vt habeant 1. omnia latera, 2. plana, & 3. angulos, singula æquales & specie & magnitudine, quod est simplicitatis: quam positam definitionē sequitur illud vtrò, quòd 4. omnium planorum centra æqualiter à medio distent, 5. quòd inscripta globo omnibus angulis tangant superficiem, 6. quòd in ea hæreant, 7. quòd inscriptum globum omnibus planorum centris tangant, 8. quòd proinde inscriptus globus hæreat immotus, 9. & quòd idem centrum habeat cum figura. Quibus rebus efficitur altera similitudo cū Sphæra, quæ est ex æqualitate distantia planorum.

Scho:

ET PL

Ian

ua

Sci

(